
ASSERTIONES HIERONYMI VENDRAMENI SACERDOTIS THEOLOGI, AC...

Girolamo Vendramin



VERITATIS AC SAPIENTIAE Alumnis.





VM calamitosis hisce, Christianæ Reipublicæ temporibus; quibus Ecclesia Dei, ac religio ipsa protegi, à Religiosis viris, atque ab ipsismet Ecclesiastitis deberet: ab iisdem in dies magis atque magis, dispergi, atque labefactari, videatur. Qui commentationibus, nunquam antea auditis, scripturis teterrimis, atque omni mendaciorum genere refertis, Summo Pontifici, tantum vt adulentur, seque speciosos exhibeant; Venetorum religionum, atque integritatem, maiorem certè, quam forsan, in ipsis Romanæ Vrbis collibus, vix est reperire. proh scelus, non cessant assiduè, insectari, at-

que laceſcere, quod dum efficiunt, Eccleſiam ipſam euertunt, atque laceſſunt: Eccleſia enim Dei, ſi ſpeciem eius pulcherrimam inſpiciamus, quid aliud eſſe videtur, quam conuentus quidam fidelium toto terrarum orbe difuſus? Venetos in fide Catholica conſtantiſſimos, omni conatu, anathemate, Interdicto, ignominijs, dum à myſtico Eccleſiæ corpore, certatim, conantur præſcindere, ac ſeparare, quid aliud moliuntur, quam ipſam Eccleſiam imminuere, atque euertere? ſed iſta tollerabilia eſſent, niſi ſummum hæreticæ prauitatis, vindex tribunal, his fauere videretur; eorumque ſcripturas, impunè typis vbique mandari, atque pasſim, venire permittat; pro Venetorum vero parte tuenda, ſi quæ hactenus in lucem prodierunt, ſed quæ & non prodierunt, eas tanquam hæreticas, atque ſchiſmaticas, anathemate, damnet, atque prohibeat. abſurda in Eccleſia Dei maxima, dolentem prohibere, ne doleat, eiulantem nolle audire, atque in vi non in rationibus, ius omne conſtituere. Contra horum morſus, atque calumnias, non ſcripturis eminus, ſed ipſo ſingulari congreſſu, ſiue palam, ſiue priuatim quoquo modo illis libuerit, cum mihi decertandum exiſtimem, verbis certè ac rationibus cominus; tum pro meis ſcriptis non dum impresſis, tuendis, tum etiam pro veritate ipſa, religione, ac integritate Venetæ Reipub. quam ego, religioſisſimam, integerrimam, veritati Catholicæ, ac Romanæ Eccleſiæ, obſequentisſimam, ſemper tuebor: quo autem omnis hæc noſtra diſputatio,


ordi-


ordinatè procedat, ad aſſertiones non vllas, ſeu capita illam reducam. quas ego veriſsimas eſſe, cum ſuſtineam; veniant, obtrectatores, ſcriptores teterrimi; mittant, arguant. hæreſi aut ſchiſmate nos conuincant, abiurabimus; ſin minus, ſileant, obmuteſcant, noſtras aſſertiones pro veris habeant, ſuaque ſcripta, per Deum quæſo, ſiue exurant ſiue Cimeria caligine in perpetuum obducta, apud inferos; ſepeliant.



ASSERTIONES PRO VENETAE REIPVBLICÆ

Parte tuendæ.





1 *VMMVS Pontifex, qua Christi Vicarius est, nullum habet, temporale dominium, in Principum secularium Regnis, atque Imperio.*

2 *Vnde vt talis est, non debet, nec potest, seculari Principum, auctoritati derogare; aut leges eis præscribere, vel conscriptas immutare, quæ politicam gubernandi rationem concernunt: & quæ animarum saluti, non aduersantur.*

3 *Leges Venetæ, de non construendis Ecclesijs; nisi de licentia Reipubl. in locis tam publicis quam priuatis.*

4 *De bonis secularium conseruandis, ne in damnum Reip. tandem omnia, ad Ecclesiasticos deuoluantur, cum super rebus mere temporalibus ferantur, easdemque per se inspiciant, absque vllo animarum periculo. Summus Pontifex, non debet, nec potest, eas aut infirmare, aut confirmare.*

5 Quas

5 *Quas de Emphiteuſi, Venetos ſtatuere ferunt, falſa obijciuntur de Emphiteuſi enim in illis ne verbum quidem habetur.*

6 *Quas certè ſi & ſtatuiſſent, nihil adhuc quod Principem Venetum non deceret, effeciſſent.*

7 *Decernunt autem quæ ſapientiſſime ad tollendos errores potius pertinent, qui ſpecie emphiteuſis, circa alios contractus, contingere videbantur. quam ad ipſam Emphiteuſim tollendam.*

8 *Atque hæc quidem non ex ſe, ſed ipſiſmet Eccleſiaſticis actoribus, poſcentibus ſit, contra ſeculares homines, Veneto Principi ſubditos.*

9 *Quod ad Eccleſiaſticos, facinoroſos pertinet, illa veriſſima putantur: Iure quidem diuino illos à Principum ſecularium cenſura, ac Iudicio, exemptos non eſſe.*

10 *Exemptionem huiuſmodi omnem, quam Eccleſiaſtici alicubi dicuntur habere, eſſe de iure humano poſitiuo, Pontificum videlicet, ac Principum ſecularium priuilegio.*

11 *Pontificem, ac reliquos ſeculares Principes, non poſſe eximere, Eccleſiaſticos, in his, in quibus ſibi ſubditi non ſunt.*

12 *Eccleſiaſticos, qua ciues ſunt, in rebus politicis ſubijci his Principibus quorum Vrbium ſunt ciues.*

13 *Venetos, à principio ſemper in Eccleſiaſticos facinoroſos animaduertiſſe, ſcientia, atque Summorum Pontificum tum tacita, tum expreſſa approbatione.*

14 *Exemptionem Eccleſiaſticorum à cenſura & iudicio Venetæ Reipub. in criminibus, & grauioribus delictis à Summis Pontificibus, atque ab alijs Regibus, & Principibus, Eccleſiaſticis conceſſam, apud Venetos non valere.*

15 *Valere autem eam tantum exemptionem Eccleſiaſticorum apud Venetos, quæ ab ipſiſmet Venetis, habetur aliquo modo, Eccleſiaſticis conceſſa.*

16 *Hæc veriſſima cum exiſtimem. Summus Pontifex propter nullum horum debuit, ſed neque potuit, anathemate deſæuire contra Venetam Rempub.*

17 *Ipſumque anathema, ob cauſſas ſupra expoſitas latum nullum atq; inane eſſe.*

18 *Nec vllo modo timendum.*

19 *Ac propterea tuta conſcientia, Venetos patres potuiſſe, & debuiſſe, pro communi ſuæ Reipublicæ ac ſubditorum bono, & pace, eidem*

ana-

anathemati, remedijs quibus visi sunt vti, & reclamari, & aduersari.

20 *Nec propterea eorum litteras ad rectores spirituales animarum atq; Ecclesiasticarum antistites sui Dominij directas, hæresi aut schismate laborare, aut suspectas esse. quemadmodum, nec vllam aliam ex propositionibus, expositis.*

Deffendentur, siue publicè, siue priuatim quouis locorum, vbi liber, ac tutus accessus, esse poterit.

A Hieronymo Vendrameno Spalatense, Theologo Sacerdote, ac Diui Mauritij Venetiarum Plebani.

Venetæ Reipub. auctoritate atque permissu.